

AD  
LOCVM PAVLLI 2 CORINTH. V, 16. 17.  
BREVIS COMMENTATIO

---

PRAEMISSA  
ORATIVNCVLIS VII.  
IN MEMORIAM  
B. SALOMONIS SIGELII  
HABENDIS  
AD QVAS

d. III. a. NON. APR. CIO IO CCLXXXI.  
HORA IX. MATVTINA AVDITA  
BENEVOLE AVDIENDAS

INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMOS,  
CETEROSQVE OPTIMARVM ARTIVM FAVTORES  
AC

PATRONOS  
HVMANISSIME INVITAT  
M. IOANNES GOTTFRIED ROTHE,  
RECTOR.

---

CHEMNICII  
IMPRESSIT CAROL. FRIDERIC. GEBHARDVS.

Exeg.

C.

352,16

INSTITUTIONS SCIENTIARUM ET ARTIUM  
MAGISTRUS JOHANNES GOTTFRIDUS RÖTBE

PATRONE  
MAGISTRUS JOHANNES GOTTFRIDUS RÖTBE

PROFESSOR CAROLINAE  
LITTEARUM



**Q**uum ante hos tres annos memoria beneficii SIGELIANI  
recolenda nobis scribendi vel necessitatem imponeret,  
vel occasionem potius non iniucundam suppeditaret, ex po-  
steriori Paulli ad Corinthios epistola deligebamus locum, varie  
ab interpretibus tentatum, quem nostra qualicumque opera  
explicare conaremur. Quos conatus cum intellexerimus  
*a nonnullis, iisque intelligentibus*, non esse improbatos; cum  
praeterea ipsum muneri nostri officium perpetua interpretandi di-  
sciplina contineatur; et cum denique explicandis cum graecis lati-  
nisque auctoribus, tum libris diuinis, mirifice delectemur: non  
dubitauimus, quin, quoniam hoc ipso tempore eiusdem beneficii  
memoria a schola nostra renouanda est, in eodem literarum ge-  
nere qualiscunque ingenii nostri vires periclitaremur, nostram-  
que alius loci Paullini ex eadem epistola, impediti sane ac diffi-  
cilis, interpretationem aequorum ac peritorum lectorum iudicio  
submitteremus. Versabitur autem opera nostra in enarrando  
*com. 16. 17. cap. V.* ita quidem, vt relictis cum ceteris interpreti-  
bus, tum GROTIO et HAMMONDO, a quorum partibus ipse  
KREBSIUS, \*) *ὁ πένυ*, stare videtur, ac MOSCHIO, \*\*) qui de  
scripturarum interpretatione optime meritus est, nostram senten-  
tiam modeste proponamus, quam quidem eiusmodi esse confidi-  
mus, vt neque verba, iisque subiectam vim ac potestatem dese-  
rat,

\* 2

\*) In Lex. N. T. pag. 598.

\*\*) In exercitationibus biblicis, qui-  
bus nomen fecit Bibelfreund, Tom. III. pag. 65.

rat, neque a tota orationis ferie aliena sit, neque cum aliis locis, in quibus eadem PAVLLVS docere velle videatur, vllō modo pugnet, sed maiorem potius in modum consentiat. PAVLLVS, ex magnis miseriis ereptus, gratias DEO agit c. I, 3 - 11. et in eo gloriam suam ponit, quod in tradenda doctrina christiana summa cum fide atque integritate versatus sit, 12 - 15. simulque leuitatis atque inconstantiae suspicionem, ab aduersariis in se collatam, remouet. 16 - 11. Tum grata mente praedicat, quod vberimos vbique fructus tulerit euangelium, quod, vti a DEO acceperit, ita nudum ac simplex tradiderit. Huius autem euangelii tantam esse vim ac praestantiam, vt sine vlla accessione ceremoniarum legis salutem conferat. Quamobrem, etiamsi magna fuerit legis Mosaeicae et oeconomiae V. T. dignitas, longe maiorem tamen euangelii esse dignitatem; et cum a DEO munus docendi huius euangelii sibi commissum sit, se recte abstinere ab omni legis ac ceremoniarum admittione, et neglectis doctorum Iudaizantium maledictis, expectare laudem ac recte factorum praemia a iudice Christo. Tunc ita pergit apostolus V, 13. at si quando gloria- mur, \*) in eo spectamus gloriam DEI, qui nos neque in natalibus, neque in vlla alia parte, inferiores esse voluit iis, qui, sese efferentes, nos deprimere student; sin modeste ac tenuiter de nobis loquimur, nec nos vlli praeferimus, id vestra facimus causa, quoniam ad vos, quamquam graecos, perinde atque ad me, Iudaeum, bona, per Christum parta, pertinent. Nam *comm. 14. amor Christi*, quo omnes sine discrimine persecutus est, *urget ac compellit nos*, (quandoquidem censemus, expiationem Christi ad omnes ita pertinere, vt omnes, relictis superioribus vel erroribus vel vitiis, ipsi viuant) *vt ex hoc tempore neminem aestimemus ex genere, quandoquidem nunc nihil refert, num quis sit Iudaeus, an Graecus, et, si vel maxime hoc nostri generis proprium ac peculiare beneficium olim fuit, vt, exclusis ceteris gentibus, cognitionem Messiae ac promissiones haberemus; tamen nunc ea cognitio non amplius est propria Iudaeorum, sed cum omnibus gentibus communicanda, adeo vt, si quis, non circumcissus, Christo nomen dederit, in foedus diuinum recipiatur, sitque veri nominis Israelita. Vetus oeconomia nunc finita est, atque in eius lo-*

\*) Ita ἰξέρημεν reddendum esse, docuit KREBSIVS Obs. Flau. p. 301. sq.

cum noua successit; idque factum est ex aeterno Dei decreto etc. Ita mihi quidem vniuersa PAVLLI oratio bene cohaerere videtur. Restat igitur, vt, quam dederimus loci huius explicationem, eam ostendamus et cum ipsis verbis Paullinis, et cum iis, quae idem de eadem re aliis in locis tradiderit, consentire. Interpretes quidem, quos mihi videre licuit, omnes particulam ὡς com. 16. explicant per itaque, igitur, neque ego, hanc interdum ipsi vim subiectam esse, prorsus negauerim; hoc tamen in loco eam referendam existima- uerim ad verba priora c. 14. ἡ γὰρ ἀγάπη Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς, cetera- que verba κρινάντας — ἐγερθέντι in parenthesi esse, quam non infre- quentem esse in scriptis Paullinis, optimi interpretes animaduerte- runt, et doctissimus BAVERVS in sua PAVLLI cum THVCYDI- DE collatione pluribus demonstrauit. Quod si sumserimus, (neque aliter MILLIUS ceterique sensisse videntur, qui comma 14. finiunt in ἡμᾶς, et κρινάντας transferunt in comma 15.) particula ὡς retinet suam vim, quam in libris sacris et profanis habere solet, et est ita vt, adeo vt, iungiturque loco Infinitiu cum Indicatio, id quod neque PAVLLO inusitatum, vid. Gal. II, 13. neque alienum est a scriptoribus profanis, vti pluribus exemplis ELSNERVS \*) docuit. Igitur vertimus: Amor Christi, qui, vt ex iis, quae in parenthesi se- quuntur, intelligitur, ad omnes omnino homines, Iudaeos et non Iudaeos, aequae pertinet, urget, seu, vt KREBSIUS \*\*) mauult, impellit nos, ita vt ex hoc tempore neminem ex genere aestimemus, neque Iudaeos non Iudaeis praeponamus. Nam εἰδέναι τινὰ κατὰ σάρκα reddi posse aestimare aliquem e genere, patet ex 1 Cor. XVI, 15. et 1 Thess. V, 12. vbi eidem verbo eadem subiecta est potestas: de voce autem σαρκός longiorem nunc non instituemus disputationem, quo- niam, de eius vi in nostra ad 2 Cor. XII, 7. commentatione satis disse- ruimus sed omnis nostra opera versabitur in eo, vt doceamus, σάρκα in scripturis saepe esse genus. Locus euidentissimus est Rom. XI, 14. vbi εἰ πως παραζηλώσω μὲ τὴν σάρκα nihil aliud est, nisi si quo modo pos- sim prouocare ad aemulationem genus meum, populares meos. Rom. IX, 3 vocat Iudaeos cognatos suos κατὰ σάρκα i. e. genere, et 1 Cor. X, 18. commemorat τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα, i. e. eos, qui gente sunt Israeli- tae. Paullus igitur in hoc, quem tractamus, loco idem docet, quod

\*) Obseruat, Sac. Tom. II. pag. 179.

\*\*) In Lexico N. T. pag. 650.

quod *Rom. X, 12.* legimus, scilicet nullum amplius esse discrimen inter Iudaeos ac Graecos, id quod etiam aliis in locis inculcat. Nunc orationis series postulare videtur, ut, fuisse quidem olim discrimen, sed illud nunc sublatum esse, doceat. Igitur verba, *ἔτι δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν*, sic interpretamur: et quamquam secundum genus, i. e. beneficio generis, cognouimus Christum seu Messiam, et κατὰ σάρκα non ad Χριστόν, sed ad ἐγνώκαμεν referimus, id quod verborum ordo et collocatio suadet, hoc sensu, nos Iudaei cognouimus Messiam, et in eo praestitimus ceteris gentibus. De hac ipsa Iudaicae gentis excellentia Paulus disputat ad *Rom. III, 1. 2.* quid habuit Iudaeus, in quo antecelleret, quodue commodum fuit circumcisionis? Omnino permagnam: nam credita sunt ipsi oracula diuina. Et ad *Rom. IX, 4.* Israelitarum, ait, fuisse et foedera, et legem, et sacrificiorum celebrationem, et promissiones; gentes vero, ad *Col. II, 12.* fuisse alienas a foederibus promissionis. Ἄλλα νῦν οὐκ ἔτι γινώσκουμεν, tamen nunc, cum euangelium IESVS annuntiari iussit omnibus gentibus, eum non amplius cognoscimus, id est, Messiae cognitio non amplius nostro generi propria, sed cum ceteris gentibus communicata est, ὡσεὶ, ἔτι τις ἐν Χριστῷ, καὶνῆ κτίσει, adeo ut, si quis, cuiuscumque gentis, Christo nomen dederit, foederis diuini et promissionum in Christo datarum, particeps fiat. Nam ἐν Χριστῷ ἕναι dicuntur, qui Christianam religionem amplexi sunt, et ἐν Χριστῷ ad *Gal. V, 6. VI, 15.* recte redditur, in oeconomia noui foederis, seu in religione christiana. Sed, quae sit καὶνῆ κτίσει, de eo nunc dispiciamus. LIGHTFOOTVS aliique docuerunt, per κτίσει exprimi Hebraeorum *תַּיְתָב*, quo nomine Iudaei κατ' ἐξοχὴν vocabant gentes, a Iudaica religione alienas, neque inepte eo referunt *Col. I, 23.* et *Marc. XVI, 15.* coll. *Matth. XXVIII, 19.* et *X, 5.* καὶνῆ κτίσει autem dicebatur, qui ex gentibus ad religionem Iudaicam transierat, et per circumcisionem in foedus Abrahamiticum receptus, verus Israelita et filius Abrahami, omniumque, quae ad posteros Abrahami pertinerent, bonorum ac promissionum, particeps censebatur. Inde factum est, ut postea doctores Iudaizantes in Christianis, qui non essent ex Iudaeis, circumcisionem vehementer vrgerent, eosque sine circumcisione et legis obseruatione promissionum in Christo et salutis aeternae participes fieri posse, negarent. Cui erroris

erroris

errori, qui, vti Iudaicae gentis dignitati mire fauebat, ita meritum Christi extenuabat, Paullus, cum saepe alias, tum hoc in loco, se opponit, docerque, non Iudaeos, suscepta cordis per euangelium circumcisione *Rom. II, 29*, quae fiat sine manibus, *Col. II, 11*. non opus habere legali circumcisione, sed per fidem in Christum reddi Abrahami filios et veros Israelitas; Iudaeos autem, nisi credant in Christum, Abrahami filios et Israelitas non esse. *Gal. III, 7. Rom. IV, 11. 12. 16. IX, 6. 7. 8.* Causam apostolus hanc affert: τὰ ἀρχαῖα ἀπέθανε, *vetus oeconomia Mosaica finem habet*, nam ἀρχαῖα sc. τοῖχεῖα sunt praecepta legis Mosaicae, quae *Gal. IV, 6.* vocantur ἀσθενή καὶ πτωχὰ, i. e. non duratura, nec rei veritatem habentia; ἰδοὺ, γέγονε καινὰ τὰ πάντα, *omnia sunt innouata*, seu noua oeconomia in veteris locum successit.

Haec sunt, quae nunc quidem pro qualicumque ingenii nostri facultate ad explicandum hunc locum perdifficilem afferre potuimus; plura in posterum huius generis daturi, si haec viris intelligentibus non omnino displicuisse intellexerimus. Restat, vt **B. SALOMONIS SIGELII**, cuius memoria ex animis nostris numquam discedet, grata piaque mente praedicemus liberalitatem, cui hoc iterum anno bibliotheca nostra debet **CICERONIS** opera, quae ex recensione **IO. AVGVSTI ERNESTI** cum notis eiusdem ac clauē **VIII. Tom. Halae Saxonum clō lō cclxxiv.** prodierunt. Nec silentio praetereundus est **VIR SVMME REVERENDVS M. FRIDERICVS EHREGOTT WINTZER**, ad **D. IACOBI** aedem Diaconus longe Meritissimus, qui, pro eo, quo est in scholam ac literas nostras amore, obtulit, **DANIELIS SCHNEIDERI** Lexicon Biblicum, splendidum opus, quod in forma maxima Francofurti ad Moenum **clō lō ccxxviii. III. Tom.** typis expressum est. Cum vero **SIGELIANVM** beneficium simul nonnullis adolescentibus dicendi occasionem suppeditet, septem disciplinae nostrae alumni hoc ordine prodibunt:

**I. CAROLVS THEOPHILVS RVPPERTVS, Chemn.** qui orationem lat. recitabit de disciplina Romanorum.

**II.**

- II. CHRISTIANVS FRIDERICVS BRAVNIVS, *Chemn.* qui omnes gentes in eo, quod sit Deus ac protidentia diuina, consentire, *ostendet lat.*
- III. IACOBVS LEBERECHT SCHREIBERVS, *Chemn.* qui felicitatem piorum adolescentum *praedicabit sermone patrio.*
- IV. IOANNES THEOPHILVS HAVSENIVS, *Chemn.* qui, an omnes pueri, ad studia apti, studiis mancipandi sint, *disquiret lat.*
- V. CAROLVS FRIDERICVS SCHMIDIVS, *Chemn.* qui, per magnam artium ac literarum vim esse ad felicitatem hominum, *demonstrabit lat.*
- VI. CAROLVS GOTTLOB HAYNELIVS, *Lengefeld, M.* *verba faciet* de felicitate discipulorum ex bonis Praeceptoribus, et *carmine German.* gratam pro acceptis beneficiis mentem declarabit.
- VII. IOANNES FRIDERICVS HAGERVS, *Chemn.* *carmine Germ.* canet fata artis poeticae.

Ad hos beneuole audiendos vt INSPECTORES Scholae nostrae GRAVISSIMI ceterique bonarum artium FAVTORES ac PATRONI crastino die venire velint, ita rogamus, vt magnum in nos ea re beneficium collatum esse, simus existimaturi, P. P. Chemnicii d. IV. a. Non. Apr. A. R. S. c1o1o cclxxxi.

